DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VOMITORIORVM VSV IN FEBRIBVS.

QVAM

CONSENSV

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

PRO

CONSEQVENDIS SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

A. D. XVII. MARTII MDCCLXXX.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IEREMIAS IACOBVS WOLFF

OFFENBACENSIS.

GOETTINGAE,

Litteris JO. CHRIST. DIETERICH

ACAD. TYPOGR.

SERENISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO

WOLFGANGO ERNESTO II.

PRINCIPI

YSENBVRGENSI ET BüDINGENSI ETC. ETC. ETC.

DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

HANC

QVALEMCVNQVE SCRIPTIONEM ACADEMICAM

PIA AC DEVOTISSIMA MENTE

OFFERT AC CONSECRAT

HVMILLIMVS ET DEVOTISSIMVS

IEREMIAS IACOBVS WOLFF

AVCTOR.

PROOEMIVM.

Quae ventriculo conuerſo, ſordes et quicquid ibi et in vicinia haeret, per os exturbant, *emetica* ſic dicta, ad cenſum remediorum pertinent, quae heroicorum nomine inſigniuntur. His enim adnumerare ea, non facile dubitabit quisquam, qui eminentem eorum virtutem, minori quoque doſi efficacem, et effectus in corpore humano quos producunt, magnos et violentos norit. Quemadmodum vero heroica ſub legitimo vſu modo in ſalutarem medicinam cedunt, ita etiam vomitoria recta doſi iuſtoque tempore data egregie in morborum curatione proſunt. Praeſtantiſſimo enim hoc remediorum genere non ſolum quicquid quisquiliarum in ventriculo et inteſtino huic propiori latet, cito et via proxima expellitur, indeque multi morbi ſaepius in herba ſuffocantur, alii mitiores redduntur; ſed aluus etiam, mouetur,

obſtructa reſerantur, circulus humorum promouetur, turbae ſaepius ſyſtemati neruoſo infeſtae ſedantur, et diureſi ac dia phoreſi aucta multis modis materies morbida oppugnatur et e corpore humano eiicitur.

Proinde ad febres omnis generis curandas magni momenti emetica eſſe, integra et refracta doſi exhibita, noſtra maxime aetate cognitum eſt; et libenter ideo hanc materiem a RICHTERO, *illuſtri Regis Archiatro*, *Praeceptore ad cineres vsque pie colendo*, mihi commendatam, nimirum de vomitoriorum vſu in febribus, diſſertationem inauguralem cum ſcribere in animo eſſet, arripui, cum bene perſpicerem, quam late hoc argumentum pateret. Quod vero quomodo proſequutus ſim, *Lectores aequi* iudicent, quos quippe, meae tenuitatis mihi probe conſcius, enixe rogo, vt ſi minus recte hoc argumentum elaboratum ſit, auctori iuueni, tyroni in arte medica condonent.

---

§. I.

Noxas ſaepe grauiores corpori humano, ſiue e ſordibus primarum viarum, ſiue etiam ex alia materie morboſa imminentes, vomitu natura ſpontaneo aut prorſus arcet, aut imminuit, id quod experientia quotidiana docet. Cibos aliquis ingeſſit coctu difficiles, duriores, vel nimiam eorum copiam, et natura hoſtilem materiam protinus vomitu exturbat; bilis ex iracundia in alio mota eſt, copia et acrimonia peccans, et natura vomitu has turbas ſedat; febris accenditur a bile abundante et corrupta, et naturae vomitiones et diarrhoeam excitantis ope aut prorſus tollitur, aut certe infringitur *a*); infeſta corpus clanculum contagia intrauere, et natura vomitu non modo hoſtilem inuaſionem indicat, ſed ſordibus etiam primarum viarum inde expulſis, imminentem morbum ſaepe mitiorem reddit. Alia huius generis exempla cuique memoria ſuppeditabit, veraque eſſe intelliget, quae acute hac de re olim pronunciauit WIL-

a) In HIPPOCRATIS Libr. I. *de morbis vulgarib.* exemplum legitur mulieris febre maligna liberatae, cum vomitione crebra, bilioſa, flaua feceſſiſſent, et ſudor obortus eſſet. Cf. *Henr.* COPE *Demonſtratio medico pract. Prognoſt.* HIPP. edit Ill. BALDINGERI p. 134. et ſimilia in aduerſariis medicorum plurima leguntur.

WILLISIVS *b*), ita dicens: adeo ſumma diuini conditoris prouidentia cautum eſt, vt pro certiore corporis humani tamquam arcis cuſtodia, quoties hoſtis externus ingruet aut inter proprias accolas ſeditio exorietur, illico extra primos aditus, ſcilicet ventriculi porticum hoſpites quicunque tamquam perſonae ſuſpectae eiiciantur. Quam vero cum natura viam monſtret, mirum non eſt, veteres iamiam medicos naturae veſtigia ſequutos eſſe, et HIPPOCRATEM *c*), AETIVM *d*), ALEXANDRVM TRALLIANVM *e*), CELSVM *f*), vt alios e veteribus nunc taceam, vomitum cientia praeſertim in febrium curatione in vſum vocaſſe. Nec fieri potuit, quin a veteribus commendata per vomitum euacuatio, quam cum iſta per ſeceſſum comparans WILLISIVS *g*) in nonnullis affectibus plus prodeſſe, quam purgationem decies repetitam affirmauit, ſummis omni tempore medicis in artis exercitio in vſu eſſet, praeſertim ad febres profligandas, quas ſaepius a colluuie impura in primis viis congeſta oriri aut exaſperari viderant.

b) *Pharmaceutice rational.* p. 25.

c) Cf. potiſſimum *Aphor.* XXII. Sect. I. *Aphoriſm.* XIX. Sect. II. *Aphor.* XVII. Sect. IV.

d) *De re medic.* Lib. IV. Cap. CXXX.

e) *De arte medica* paſſim.

f) *De medicin.* Lib. I. p. 29. Lib. II. p. 87. edit: KRAVSE.

g) l. c. p. 24.

derant. Sicuti vero nullum fere adeo efficax proficuumque remedium inueniatur, quod non etiam obesse possit, si promiscue et non sub iusta cautione, aut peruersa dosi exhibeatur; ita quoque emetica noxas, de quibus mihi infra dicendum erit, subinde attulerunt. His igitur et dubia fortassis dosi vomitoriorum moniti medici, tentarunt ea sine dubio minori et refracta dosi exhibere, inprimis cum infantibus et tenerioris habitus aegris quandoque vomitoria offerenda essent. Noua igitur esse nequit haec ratio exhibendi vomitoria, et patet omnino, *Franc. de le Boe* SYLVIVM stibiata iamiam in refracta dosi commendasse *h*), sapam scilicet vomitoriam, e vitro antimonii paratam; quem sequutus ALBRECHT *i*), pariter vomitoria antimonialia in admodum refracta dosi exhibita et aliquamdiu continuata laudauit. Nec difficile foret, e scriptis HOFFMANNI, STAHLII aliorumque medicorum testimonia colligere, vomitoria praesertim ea, quae ex stibio et scillae radice parantur, pridem refracta dosi in vsu fuisse.

§. II.

h) Cf. SCHVLZII *Praelectiones de viribus et vsu medicamentorum &c.* p. 287. 369.

i) In *Ephemerid. N. C.* Dec. II. Ann. VI. p. 46.

§. II.

Quoniam autem vario modo vomitoria differunt, par non eſt ratio, praeſertim in febrium curatione quaenam exhibeantur. Olim aquam tepidam cum ſale, aut oleo, aut melle mixtam, copia ſufficiente vna vice ingerendam, ad vomitum ciendum apprime laudarunt; verum aquae tepidae in qua carduus benedictus intabuerat prius, potatio, qua Baro *de* WASSENAER *k*) miſere interemtus eſt, hoc remedium infidum reddidit.

Plerisque igitur noſtra aetate medicis alia vomitoria placent, praeſertim ipecacuanhae radix, cui aſarum ſubſtitui poſſe docuit A LINNE' *l*). Aſari quidem radix forma pulueris ad ſcrupulum vnum, drachmam dimidiam, immo drachmam integram, aut aſari folia ad numerum ſex contuſa et macerata frigide per noctem in vini vncia vna, exhibita, vomitum cient et aluum mouent, ac in intermittentibus diuturnis aliisque morbis auxilio fuere, vti tradidit *Illuſtr.* MVRRAY *m*), *Praeceptor ad cineres vsque pie colendus.* Viribus vero cum aſarum inferius ſit ipecacuanhae radice, et acredine ſua dis-

k) HERM. BOERHAAVE *rarior. morbor. hiſtoriae* edit. *Ill.* BALDINGER p. 3. ſeq.

l) *Amoen. Acad.* T. VII. p. 307.

m) *Apparatus medicaminum.* Vol. I. p. 360.

displiceat, recte ipecacuanha anteponitur. Haec propterea, vt verbis *Illustr.* MVRRAY *n*) vtar, emeticum nunc est omnium consuetissimum et tritissimum, nec infantibus tenellis repudiandum, nec praesente febre incongruum, quum absque calore operetur. Dosis quondam maior huius radicis in puluerem redactae, nimirum ad drachmam vsque aegris data est; recentiori vero aeuo cognitum est, minorem dosin eosdem effectus producere, et minimam saepe efficacissimam esse. *Illustr.* PRINGLE, referente *Ill.* SPIELMANNO *o*) singulis horis ipecacuanhae grana quinque praebet, vsque dum vomitus surgat. *Ill.* MVRRAY *p*), si saburra tenacior vexet et tempore parcendum sit, placet mos, qui apud Anglos item Germanos diu obtinuit, scrupulo circiter vni ipecacuanhae granum vnum vel alterum tartari emetici stimuli caussa adiungere. Sic alii quinque, decem, aut quindecim grana, alii scrupulum vnum, aut drachmam dimidiam ipecacuanhae vel solius, vel cum sacchari, aut salis cuiusdam, aut rhabarbari parca quantitate mixtae pro dosi ad vomitum mouendum exhibent, habita simul aetatis, corporis constitutionis rel. ratione. *Illustr.*

BAL-

n) l. c. Vol. I. p. 257.

o) *Instit. mat. medicae p. 618.*

p) l. c. p. 528.

BALDINGER *q*), *Praeceptor pietate et obſeruantia maxima proſequendus*, infuſum commendat aquoſum, ex pulueris radicis ipecacuanhae drachma vna et dimidia, corticis aurantiorum Curaſſ. drachmis duabus, Cremoris tartari drachma dimidia, cum vnciis quatuor aquae fontanae ebullientis parandum, cui oxymellis ſquillitici vnciam dimidiam addit. Hoc infuſum cochleatim exhibet, aſſeritque, iſtud primarum viarum ſordes, et bilem eliminare per vomitum et per vias vrinae, hinc in omni genere febrium acutarum remittentium, intermittentium optimam eſſe medicinam et non raro praeuertere exanthemata cutis, quae ſint cum febre, et ab impura colluuie primarum viarum gignerentur. Alii infuſum ipecacuanhae cum vino digeſtione per noctem paratum ad emeſin ciendam laudant, quod vero abſente modo febre conducit *r*).

Praeſtantiſſimum autem remedium ad febres curandas ipecacuanham eſſe, docet eximia virtus, quae in ipſa latet; nam non vomitum ſolum mouet, ſed aluum etiam, immo, quod merito mireris, leniter adſtringit, diureſin ac diaphoreſin auget; praeterea vis febrifuga, antidyſenterica, antiſeptica, teſte STOLLE *) et ſpaſmos ſopiens in ea notatur. Quod vim eius antiſpaſmodicam atti-

q) Cf. *Pharmacopoea Edinb.* edit. *Ill.* BALDINGER in additamentis. p. 250.

r) Cf. *Illuſtr.* MVRRAY l. c. Vol. I. pag. 530.

*) R. M. P. I. p. 192.

tinet, ea praesertim, si radix haec in admodum refracta dosi repetitis vicibus exhibetur, manifesta est. Quartam grani partem radicis bis in horae vnius spatio eo fine dedit RICHTER *s*), *Illustris Regis Archiater*, et similem dosin cum successu in grauissimis spasticis varii generis affectionibus *Cl.* MICHAELIS *t*), vt AKENSIDE aliosque huius virtutis testes grauissimos nunc praeteream. Probabile autem mihi videtur, hanc vim ipecacuanhae spasmos fugantem, quae in curatione febrium tanti momenti est, in quibus tot spastica occurrunt symptomata, maxime a facultate radicis vomitum mouente pendere, qua spasticos motus in ventriculo et vicinis partibus excitat; nouimus enim, silere interdum spasmos, obortis aliis aut propinquis aut validioribus; spasticos motus vero ipecacuanham etiam in minima dosi oblatam, creare posse, vomitus docet, quem tunc etiam quandoque ciet. Id quod hanc sententiam verosimillimam reddit, obseruatio est, qua etiam in emeticis aliis refracta dosi exhibitis virtus antispasmodica detecta est *u*). Sed vela contrahere cogor, qui iusto diutius in ipecacuanha moratus sum. Scillae radix, quae vi resoluente

 ac

s) *Abhandlung von den Brüchen* Th. I. p. 218. et *chirurgische Bibliotheck* B. III. St. 4. p. 641.

t) *De angina polyposa siue membranacea*: p. 241.

u) Cf. Cl. MICHAELIS lib. cit. p. 240. qui plura exempla adfert.

ac diuretica inclaruit, ad emefin ciendam raro in vfum vocatur, praefertim in febrium medela, quod ventriculum offendit, et nimis irritat. Nec praeparata eius facile tunc eo fcopo adhibentur, oxymelite excepto, quod quidem folum aegris propinari non folet, fed aliis emeticis, forma fluida praefcriptis ad drachmas binas quatuorue additur. Magis in vfu funt vomitoria, quae ex claffe antimonialium petuntur, tartarus fcilicet emeticus et fulphur antimonii auratum tertiae praecipitationis, quae ad grana duo, tria, immo quatuor pro dofi vel forma pulueris, vel hauftus dantur. Inprimis haec tunc conueniunt, vbi infefta fordium colluuies cito e primis viis remouenda.

Valida vis emetica in antimonialibus eft, et non modo cito operantur, fed ventris imi etiam vifcera probe fuccutiunt. Praeterea vifcida optime incidunt, fudorem et vrinam pellunt, potenterque refoluunt, praefertim in refracta dofi exhibita et diu continuata. Vi etiam antifpafmodica, ftibiata exigua dofi data pollere videntur; certe tartarum emeticum minori dofi exhibitum in epilepfia magni fecit b. m. WERLHOF *v*), in infantum conuulfionibus aliisque affectionibus fpafticis b. m. HIRSCHEL *w*), mihique probabile videtur, ful-

v) *Oper. medica* T. II. p. 726.

w) *Gedanken die fallende Sucht betreffend* p. 42.

ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis et kermes mineralis eam vim, qua ſputa in pulmonum inflammationibus ſuppreſſa protinus ſaepe reſtituunt, nullam aliam eſſe, quam ſpaſmos ſopientem, cum reſoluens eorum vis tam cito opitulari non poſſet, ſputaque ſpaſmis, in omni inflammata parte obviis, veri ſimiliter ſupprimantur.

Exiguas tartari emetici non modo, ſed aliorum etiam medicamentorum e claſſe antimonialium doſes nuperi ad febres curandas maximis extollunt laudibus; ſed de his mox ſermo erit, vbi de refractae emeticorum doſeos effectu ſalutari in febrium curatione fuſius agetur. Haec vero vſitatiora ſunt emetica; noui quidem ſupereſſe alia multa, v. c. vitriolum album, ad peſtem auertendam commendatum; cum autem vel infida ſint, vel enarratis virtute inferiora, vomitoriorum in febribus adhibendorum pomoeria vlterius extendere nolui.

§. III.

Spinoſas et inutiles quaeſtiones, qua virtute vomitoria emeſin moueant, in quas partes agant, quomodo ventriculum afficiant, aliasque, ab argumento meo alienas hic nihil moror; ſufficiat, de effectibus emeticorum hoc loco generaliora quaedam propoſuiſſe. Spa-

ſmos

ſmos inducere vomitoria, eosque cauſſam vomitus cuiuslibet proximam eſſe, e ſerie ſpaſticorum ſymptomatum, quae in nauſeante a medicina emetica ſumta annotantur, elucet.

Ideo vis emeticorum, praeſertim antimonialium liberaliori manu propinatorum, non tantum intra ventriculi et duodeni pomoeria ſubſiſtit, vt verbis vtar b. m. FR. HOFFMANNI *x*), ſed intimius penetrando, in contiguas etiam adiacentes partes effectus ſuos propagat et maxime ductus biliarios attentat, eosdemque concutit et criſpat, vt redundantius bilioſum humorem eructent: vnde nonnunquam tanta bilioſae materiae copia iterato vomitu eiicitur, quanta neutiquam duodeni latibulis excipi potuiſſet ac comprehendi. Hac de cauſſa, quod nimirum virtus emeticorum latius patet, euacuationem per vomitum longe purgationi aluinae praeferendam eſſe aſſeruit WILLISIVS *y*). Iſta enim recte monuit, non modo phlegma ponderoſum ſtomachi plicis coaleſcens, quod cathartica caetera quaeuis praeterlaberentur, veluti ſcopis purgari, ſed partes etiam vicinas, pancreas, meſenterium, lien ipſumque iecur, concuſſione valida commoueri, adeo vt obſtructiones in iis factae, etiam ſanguinis et humorum ſtagnationes quae-

x) Opuſcul. medic. varii argumenti p. 423.

y) l. c. p. 34.

quaecunque hoc remedii genere facillime amouerentur. Plerumque vero, emetico dato, ratio eorum, quae per os exturbantur, haec eſt: primo vomitu eiicitur illud, quod in cauitate ventriculi fluctuat; dein quicquid viſcoſi phlegmatis villis eius adhaeret, aut in plicis reconditur; ſi vellicatio perſeuerat, ſeroſi humores reiiciuntur; poſtea ſpasmo duodeno eiusque ductibus communicato, bilis et ſuccus pancreaticus, e meatibus extorti, inque ventriculum ſuffuſi, egeruntur z). Bilis igitur vltimo exturbatur, in biliofis vero morbis ſaepius ſtatim ab initio. Si vomitus perdurat, ſanguis denique ſecedit. Perdurat vero vomitus, vel quod particula vomitorii acris in ventriculo reſtat, vel quod vomitione ventriculus ſenſilior redditus, quouis leuiori etiam ſtimulo potulentorum, bilis rel. ad ſpasmos cietur. Periculoſum igitur eſt, emetica valida, aut maiori doſi exhibere, cum e crebra validaque vomitione vomitus cruentus, herniae, prolapſus, animi deliquia, conuulſiones, mors repentina, aliaque mala annotata ſint, et mitiora nonnunquam vomitoria, iuſta doſi data noxas iſtas inferant. Quo licet opprobrio liberari vomitoria non poſſint, praeſtant tamen

z) WILLISIVS l. c. p. 31.

tamen longe ea euacuantia, quae aluum modo fubducunt. Haec enim et tardius operantur, et fordes multas intactas relinquunt, et robur ac tonum ventriculi et inteftinorum imminuunt, immo totum corpus debilitant; in emeticis vero plane alia ratio eft. Nec reliquis, quae emeticis adfcripfi, per plura emunctoria materiem morbidam eliminantibus, viribus pollent aluum purgantia.

Refractae emeticorum dofes nihil detrimenti afferunt, ideoque omni tempore exhiberi poffunt. Tunc quidem prudens medicus eas non dabit, vbi cita euacuatio per vomitum indicatur; alioqui maxime commodae atque vtiliffimae exiguae dofes emeticorum funt. Namque fecunda, tertia aut quarta vice exhibitae vomitum interdum ciunt, isque mitis eft, et aegri modo fordes eructare videntur; tum etiam hae optime fordes digerunt, ideoque ad euacuationem praeparant, immo per aluum quoque exturbant; praeterea perfpirationem, et expectorationem promouent, vrinam pellunt, quid? quod virtute antifpasmodica pollent, quemadmodum nuper docuit MEYER, *Vir Exper.* *a*). Quibusdam methodus placet, ita exhibendi emetica, vt naufeam continuam moueant, et certum omnino eft, ad ex-

a) Diff. de eximio ipecacuanhae nec non alior. quorundam emet. refracta dofi exhibitorum vfu. p. 5. 6.

excretiones ſere omnes augendas meliorem vix inueniri poſſe methodum.

Haec etiam methodus Praeceptoribus meis optimis, *Illuſtr.* BALDINGERO et *Illuſtr.* RICHTERO placet, et in collegiis inſignes et praeclaros effectus praedicant, quos inde in multis morbis notauere. *Illuſtr.* BALDINGER *b*), alibi iam iam in febre tertiana refractas ipecacuanhae doſes laudauit, conſentiens cum GIANELLA, radici huic facultatem abſtergendi, meatus reſerandi, ac infarctus reſoluendi adſcribente; et ob eas virtutes tartari emetici aliquot grana in aliquot vnciis aquae fontanae ſoluta commendauit *c*). *Illuſtr. Reg. Archiater* RICHTERVS eadem ratione tartarum emeticum exhibet, et addit etiam interdum ſolutioni ſal mirabile Glauberi aut etiam ſal quoddam aliud. LIND *d*) maiorem vim febres fugandi tartaro emetico tribuit, quam vino antimonii; exhibuit vero cum ſucceſſu in febribus remittentibus continuis quauis hora ſexta tartari emetici granum dimidium cum ſacchari aliquot granis mixtum. Alibi

b) *Krankheiten einer Armee* p. 293.

c) *Pharmacop. Edinburg.* in additament. p. 264.

d) *Verſuch über die Krankheiten, denen die Europaeer in heiſſen Climaten unterworſen ſind*, p. 26, 262.

bi *e*) ſuadet, vt ſimulac Europaeus in regionibus calidioribus febre corriperetur, vomitorio aut cathartico primis viis probe expurgatis, ſiue tartarus emeticus, ſiue vinum antimonii exigua doſi, ſiue etiam ſequens medicina exhiberetur: Rec. ſalis Cornu Cerui ſemi ſcrupulum, ſucci Limoniorum drachmas tres, vel q. ſ. ad ſaturationem, aquae menthae vulgaris ſimplicis drachmas decem, tincturae ſtomachicae drachmam vnam, vini antimonialis a guttis X. ad guttas XL. (vel potius in vicem vini antimonialis, tartari emetici quartam partem grani) ſyrupi e corticibus aurantiorum drachmam vnam, miſc. In febribus continuis et quidem tunc, quando aegri ſtupore, et ſopore, cum magno labore et oppreſſione organorum vitalium corripiebantur, vini antimoniati drachmam vnam aqua dilutam quouis bihorio pro doſi dedit, doſi etiam in progreſſu aucta, donec vncia vini aſſumta eſſet, vel medicina notabiles effectus exſeruiſſet. Eadem methodo in febribus curandis fere omnes clari medici in Anglia vtuntur, vt modo tartarum emeticum refracta doſi vel forma pulueris, vel in aqua ſolutum, vel aliis medicamentis fluidis admixtum, exhibeant, aut loco huius vinum antimoniatum, vel ſolum parca doſi, vel aqua dilutum, vel potionibus additum aegris propinent; hac enim ratione ſtibiata adhi-

e) l. c. p. 222.

hibuere HVXHAM *f*), GRANT *g*), CLARK *h*), MACBRIDE *i*) aliique multi. In Gallia loco antimonialium enarratorum frequentius kermes minerali medici vtuntur *k*), et quem fugit, hodieque a multis antimonium diaphoreticum in febribus curandis in vſum vocari.

§. IV.

Magna vero cum vtilitate emetica, ſiue ſufficiente ad vomitum ciendum, ſiue refracta doſi fere in quouis febrium genere adhiberi, tot praeclara medicorum illuſtrium et fide digniſſimorum teſtimonia, quae hic apponere ſuperfluum foret, ſpondent. Enimuero ne ſiniſtro cum euentu ſalutaris medicina detur, neceſſe eſt bene ſciat medicus, quando in febribus vomitoria integra vel refracta doſi exhibenda, in quibus febribus optimo cum euentu adminiſtrata ſint, denique ſub quibus cautionibus haec aegris offerenda ſint, et quas temere data emetica noxas afferant; atqui hae quaeſtiones

f) *Oper.* edit. REICHEL T. II. p. 206. et paſſim.

g) *Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber.* p. 677.

h) *Beobachtungen über die Krankheiten auf langen Reiſen nach heiſſen Gegenden* &c. paſſim.

i) *Syſtematiſche Einleitung in die theoretiſche und practiſche Arzneykunſt* Th. II. p. 477. 479.

k) LIND l. c. p. 261.

nes ſunt, quae nunc dilucidandae veniunt. Quod primam quaeſtionem attinet: quando aegris febre laborantibus vomitoria dari poſſint debeantque; duplicem ea ſignificatum habet, quae ſcilicet indicantia, ea poſtulent, et quo morbi tempore exhiberi poſſint. In prius vero ſi inquiramus, patet, tunc modo proprie indicari vomitoria, ſicuti in morbis aliis, ita etiam in febribus, ſi abſentibus aliis ſignis emeſin prohibentibus, ſordium in primis viis colluuies praeſto ſit, eaque verſus ſuperiora turgeſcat.

Signa autem colluuiei et turgeſcentiae, referente TH. GLASS *l*), haec ſunt: corporis totius laſſitudo, impotentia ſubita, horrores, lingua ſordibus obſeſſa, os amarum, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, praecordiorum moleſtiae, et tumores facile digitis cedentes, pectoris anguſtiae et oppreſſio, dolor ventriculi, item lateris ſub ſepto transuerſo, et intra coſtas haerens; ſed absque praecordiorum inflammatione (qui nonnunquam cruciatus thoracis dicitur, nonnunquam dolor lateris, ſurſum ad clauiculas non tendens) extremorum frigus, capitis totius grauitates et dolores, vertigo, oculorum caligines, mentis marcor, animi abiectio, inquietudo, anxietas, iactationes, (ſi modo inflammatio abſit).

At

l) *Commentarii XII. de febribus* edit. *Illuſtr.* BALDINGER p. 74.

At haec non omnia ſemper dicta ratione adſunt, vt ſaepius dictitantibus ex his ſignis certioribus quibusdam, v. c. nauſea, vomitu ſpontaneo, vertigine, lingua ſordida, ructibus etc. emetica medici in artis exercitio verſati intrepide exhibeant; deinde etiam interdum ſigna haec obſcuriora ſunt, praeſertim ſi vnum alterumque deſit, quo in caſu ad alia attendere debet medicus, nimirum num morbus poſt cibos duriores comeſtos, epulas lautiores natus ſit, num a cauſſa epidemica, endemica bilis et primarum viarum ſordes exſuperent rel. Sic contraria ex parte interdum oris amarities, nauſea cum vomendi conatu, ardor circa pectus, anxietas praecordia ſtringens, ſaliua frequens, tremor oris, quae alias vomitoria poſtulant, praeſto ſunt et tamen non expedit, his indiciis obſequi, cum a ſolo motu ſpaſtico et contractorio ventriculi, ſiue idiopathice ſiue ſympathice affecti, iſta ſymptomata oriri poſſint *m*), vbi ſubinde valde noceret, ſi emetica exhiberentur. Ita ſaepenumero conatus ad vomendum a regurgitante ſanguine ad vaſa ventriculi in grauidis, menſium vel haemorrhoidum ſuppreſione laborantibus, etiam ex alia cauſſa ſub inſultu apoplectico, in vehementi tuſſi, calculo, ſuffocatione hyſterica, paſſione colica, iliaca aliisque affectionibus na-

m) FR. HOFFMANNVS l. c. p. 444.

nascuntur, vbi summe periculosum foret, vomitum ciere.

Quandoque etiam signa enarrata ista emesin exigentia vel plane, vel magnam partem desunt, et medici tamen sagaciores, vel quod saburram profundius delitescere cognoscant, vel vt materiem morbidam, ad interiora aut neruosum systema fortassis migrantem aut iam iam delatam, protinus magnis vomitorii motibus ad exteras partes pellant, vel denique vt miasma nouissime corpus ingressum mature exturbent, emetica dare minime dubitant. Quod contagia attinet, mira saepius emeticorum virtus est, qua ea cum saliua, vt videtur, mixta et deglutita, e corpore expellunt. In morbis igitur, FR. HOFFMANNVS *n*) ait, qui contagio serpunt et insigniter pernicialis indolis sunt, vt pestis, petechiales febres, febris acuta cum phrenitide, siue sic dictus morbus Hungaricus, emeticum gliscente adhuc sub initium miasmate, cum alexipharmaco datum, summam promittit securitatem, et saepenumero capitales has aegritudines prima in herba felicissime iugulat. Exhibendum vero esset vomitorium, interprete TH. GLASSO *o*), ipso plane febris initio, si quidem optio detur; ita enim fiet, vt ab horrendis illis symptomatibus ex hu-

mo-

n) l. c. p. 431.

o) l. c. p. 86.

morum in ventriculo locisque vicinis delitefcentium illuuie ortum ducentibus praemuniamus, immo vero et fortaffe morbum ipfis quafi incunabulis opprimamus; qui alias cum aegroti periculo grandefcet, et longaeuus euadet; nutritus nimirum dictis humoribus, qui vel fubftantia fua in penitiores corporis partes transmiffi, cum fanguine commifcentur, et ex ipfa mora peiores facti, atque venenata prauitate inquinati, ex foco fuo iugiter pertranseunti fanguini, malignam auram afflabunt.

Cum autem per totum febrium decurfum, fiue quod ingenium ferat febrium, praefertim gaftricarum, fiue quod fero accerfitus medicus fit, fordium ac turgefcentiae figna praefto effe poffint, aut alia fymptomata, emefin exigentia, accedere queant, in quouis febrium tempore, fub cruditatis, coctionis et inftantis crifeos fignis, modo vires ferant, vomitorium exhiberi poteft *o*). Monent vero omnes, nifi fumma vrgeat neceffitas, in emeticis exhibendis, tempus exacerbationum vitare, et declinante modo acceffione, impetu aut vigore morbi, tam

o) SYDENHAM die febris vndecimo vomitum imperare non dubitauit, etiam cum aeger vomiturire iam defiiffet, neque fine fructu Cf. *Oper.* p. 146. BRENDEL Diff. *de feriori vfu euacuantium in quibusdam acutis* refp. SCHVLZE. et Cl. RADEFELD Diff. *de euacuantium vfu in febrium acutarum tam initio quam decurfu*, §. IX.

tam in febribus intermittentibus, quam continuis et acutis vomitoria dare. Emetica enim, iudice FR. HOFFMANNO *p*), actiuiora omnia et ventriculum et reliquas nerueas corporis partes, ſpaſticis ſtricturis tentant, et ſollicitant; ſub morborum autem acceſſione, motu et impetu, ſyſtema tam vaſorum, quam membranarum neruearum, iam ſpasmodicis commotionibus agitatur, adeoque motuum impetus non poteſt non ab eiusmodi draſticis cum inſigni detrimento notabiliter augeri atque intendi. Diſplicet igitur mihi methodus, breui ante paroxyſmum in febribus intermittentibus emetica exhibendi, quod turbas in toto corpore ſumme ſpaſticas appropinquantes augent, et declinante aut finito paroxyſmo, non modo maiori cum ſecuritate, ſed etiam, quia excretiones criticas vomitoria intendunt, meliori cum ſucceſſu propinari poſſunt.

Saepenumero vno emetico ſordes in primis viis congeſtae non omnes exturbantur, ſed exhibitis incidentibus et digerentibus denuo turgeſcunt; in hoc igitur caſu ſalutariter iterum vomitus cieri poteſt. Refractas emeticorum doſes vomitum interdum, ſaepius aluum mouere, ſordes digerere, vrinam et perſpirabile pellere, ſpaſmos fugare dixi. Teſtimonium adiungo *Cel.* STOLLE *), de refractis ipecacuanhae doſibus ita diſſe-

p) l. c. p. 444.
*) R. M. T. I. p. 194.

ſerentis: exiguae hae ipecacuanhae doſes continuas vomitiones, ſubinde et vomitum excitant, maioremque hac ratione humorum ſaliualium, lenteſcentium, glandulas infarcientium et ipſius bilis veſiculam diſtendentis, irritantis, putreſcentis, ac iam iam reſorbendae affluxum ad cauum ventriculi et inteſtina conciliant, quin et ſordes bilioſae iam abſorptae, denuo reuocantur, vt excitato ſalutari vomitu, aluoque mota eliminentur. Ipſe cum ſucceſſu ipecacuanham refracta doſi exhibuit *q*), ſi os ſupra modum mucoſum, dentes ſordidi, lingua craſſa, tenacique materie conſpurcata conſimilem et ventriculi et tubi inteſtinalis ſtatum indicabant, et quotiescunque poſt primos vomitus inſigne leuamen non ſequeretur.

Difficile igitur non eſt, perſpicere, quando refractae emeticorum doſes in febribus conueniant, cum ſine dubio propinari poſſint debeantque, quando ſordes digerendae et euacuandae, obſtructa reſeranda, perſpirabile et lotium pellendum, et ſpaſmi ſopiendi ſunt; et id etiam praerogatiuae penes has refractas doſes eſt, quod debilioribus, grauidis, immo ſub acceſſionibus, motu et impetu febrium, praeſente inflammatione, aut diatheſi phlogiſtica, aut congeſtione verſus partem quam-

q) R. M. T. I. p. c.

quamdam, etc. exhiberi poſſint, praeſertim ſi minimae doſes offerantur.

Peculiarem vim febrifugam Angli antimonialibus, inprimis tartaro emetico et *pulueri* ſic dicto *Doctoris* IAMES tribuunt. Veroſimile autem mihi videtur, hanc nullam aliam eſſe, quam eam, qua cauſſam materialem febrium tollunt, et ſpaſticos motus et contractiones vaſorum infringunt.

§. V.

Cum pleraeque febrium vel a ſordibus primarum viarum oriantur, vel inde nutriantur, facile intelligitur, quam late vſus emeticorum in febribus curandis pateat. Febres intermittentes ſaepius a ſolis vitiis in diaeta commiſſis, potiſſimum a cibis coctu difficilibus ingeſtis excluduntur, quas protinus ſaepe vomitoria data ſiſtunt.

Hinc tertianas intermittentes ipecacuanha cum ſucceſſu oppugnauit *Illuſtr.* BALDINGER *r*), et MEYER *s*) tradidit methodum *Cel.* WICHMANNI, qua intermittentes ipecacuanhae, refracta doſi exhibitae vſu profligat. In pauperioribus ſcilicet, quibus Cortex peruuianus nimis pretioſus eſt, eadem ratione, qua alias cortice, hac radice vtitur. Euacuationibus rite praemiſſis, omni

r) *Krankheiten einer Armee.* p. 290.

s) Diſſ. cit. p. 34.

omni trihorio granum vnum cum ſcrupulo vno ſacchari albi aut magneſiae praeſcribit, infuſo theaeformi florum Chamomillae adiuuantis inſtar adhibito. Scrupuli duo ita adminiſtrati plerumque febrem tollunt, etiamſi nec ſurſum, nec deorſum euacuent; ſcrupulum tertium die octauo poſt ſublatam febrem porrigit. Vbi opus eſt, roborandi cauſſa vnciam vnam corticis peruuiani ſubiungit. Binos praeterea enarrauit caſus *Exp.* MEYER *t*) febrium intermittentium, irregularis et tertianae, hac ratione a *Cel.* WICHMANNO perſanatarum. WERLHOF *u*) in febribus intermittentibus ſoporoſis, ſi ſordium in primis viis congeſtarum indicia adeſſent, emeticum corticis peruuiani vſui praemiſit, et inſtituit quidem euacuationem per vomitum finito paroxyſmo praecipue infuſi croci metallorum vncia circiter vna, medicamento, vti opinatur, ſi ex indicatione eo vtamur, nequaquam violento et quod, natura forſan inclinante, per inferiora etiam blande euacuet, neque deinceps adſtringat, et velociter ſatis operetur, et in febribus et ſoporoſis affectibus commendabile eſſet.

Quartanas inueteratas vomitum cientibus diſcuſſit ALEX. TRALLIANVS *x*), acceſſione vero incipiente vomi-

t) l. c.

u) Oper. ex edit. *Cel.* WICHMANNI P. I. p. 114.

x) de arte medica edit. HALLER. Vol. II. p. 198.

mitum imperauit. Similiter GIANELLA y) ad quartanas curandas ipecacuanham laudat; hac enim radice, inquit, feliciter fugauimus quartanas febres, erraticas et illas, quae itentidem accenduntur, ita vt vere dici posſit in gaſtrica et venoſa cacochymia, vbi ventriculi ſucci eneruantur, vti hepar, pancreas, et inteſtinorum et meſenterii glandulae infarctae ſunt et vbi lienis obſtructiones et durities perſiſtunt, radicem ipecacuanhae, opportune tamen, rhabarbaro in conſortium arceſſito, ſingulare praeſidium eſſe, ita ad nullum aliud praeſidium cum huiusmodi praeſidiis poſſit aequiparari.

Pari modo in febrium acutarum continuarum et remittentium medela euacuantium, praeſertim emeticorum vſus noſtra aetate magni aeſtimatur. Hae magnam partem gaſtricae ſunt et a ſordibus non raro bilioſis, pituitoſis, verminoſis, aliisque corruptela putredinoſa ſaepius infectis, oriuntur aut certe alimoniam inde habent. In febre bilioſa ſimplici a TISSOTO z) aliisque claris medicis bene multis vſus emeticorum commendatus eſt; nec dubitabit quisquam, quotiescunque e re videbitur, in initio et decurſu harum febrium vomitorium dare, ſi ſordes, a quibus ſolis in primis viis collectis febres huius generis accenduntur, ſatis mobiles ſint; praeſer-

y) Cf. HALLER. *Diſſ. pract.* T. V.

z) *de febre bilioſ.* Lauſan. p. 28. 29.

ſertim cum natura nauſeam vomitumque plerumque in his mouens, medentibus viam monſtret. In his valde proficuum recentiores cenſent, emetica cum catharticis coniungere, quod inde ſordes citius eliminantur. Quemadmodum vero in biliofis ſimplicibus emetica cum ſucceſſu adhibentur, ita maior omnino neceſſitas vrget, ea febre bilioſa putrida laborantibus offerendi. In his enim ſordes in praecordiis haerentes, putrida corruptela infectae ſunt, et niſi cito via proxima exturbantur, longiore per canalem inteſtinorum via et ſerius eliminantur, et in maſſam humorum reſorbentur, et periculoſas diarrhoeas, immo ſaepius infeſto ſtimulo ſuo inflammationes viſcerum abdominalium inferunt, aliaque mala creant. Salutis igitur fere ſpes omnis in emeticis mature dandis tunc ponenda. Saepius vero fieri ſolet, vt emetica in his febribus data, non vomitum, ſed aluum moueant, et diarrhoeas funeſtas inducant. In hoc ſtatu ſuadent quidam, praeſertim Angli, vt emetico lene opiatum v. c. tincturae thebaicae guttae quaedam addantur; alii vero, vt ventriculi regioni emplaſtrum veſicatorium imponatur, et deinde vomitorium exhibeatur. Maximi autem momenti eſſe, vomitum imperare in his febribus, verba HVXHAMI *a)* praeclare docent: procul

a) Oper. cit. T. I. p. 243.

cul dubio vbi putrida colluuies atque corrupta bilis in ventriculo et inteſtinis abundat, quantocyus hercle expurganda ſunt, ni vis vsque fouere morbum, aucta in horas putredine. Nec in primis tantum viis, pergit, felices edit effectus vomitus, ſed et per omnem vndique vaſculorum compaginem, vbi lenteſcentes attenuat humores, putridosque expellit. In febre eryſipelatoſa ipecacuanha vomitum ciuit *Illuſtr.* EALDINGER *b*), nec mirum eſt, cum huiusmodi febres non niſi a bile, praeſertim animi commotionibus alterata excludantur. Pleuritis et pleuropneumonia, et angina bilioſa, quae perinde ſoboles bilis acrioris in ventriculo ſtagnantis, optimo cum ſucceſſu emeticis oppugnantur. Febres verminoſae, quas ſaepius putridas gaſtricas eſſe, declarauit VAN DEN BOSCH *c*), ſubinde vomitoria flagitant, quibus interdum etiam vermes optime eiiciuntur. Petechiae, exanthema miliare et purpura, item ſcarlatina ſaepenumero a colluuie impura in primis viis excluduntur, quae igitur euacuantium, ideoque etiam emeticorum mature exhibitorum vſu non modo optime auertuntur, ſed quoque ſanantur.

Ex-

b) *Krankheiten einer Armee.* p. 400.

c) Hiſtoria conſtitutionis epidemicae verminoſae edit. ACKERMANN p. 57.

Exanthema miliare purpuramque retrogreſſam, emeticum protinus exhibitum ſaepius in cutem reuocat. Variolarum et morbillorum curatio, vti ex SYDENHAMO, HVXHAMO, ROSENSTEINIO probauit *Cl.* RADEFELD *d*), ob febrem bilioſam ſaepius coniunctam, et alias difficultates ſubinde vomitoria exigit. Febres catarrhales plerumque cum primarum viarum ſordibus coniunctae ſunt, et tunc facile in pernicioſas degenerant, niſi ſaburra cito remouetur. Hinc emetica in his etiam ſaepe locum habent, et proficua ſunt non modo, quod ſaburram eliminant, ſed etiam quia cohibitum aut ſuppreſſum perſpirabile reſtituunt. In febre catarrhali putrida *Cl.* MERTENS *e*) ipecacuanha et tartaro emetico vomitum mouit et tartarum emeticum etiam in aqua ſolutum refracta doſi exhibuit. Quamuis multi ſint, et e ſummis medicis quidam, SYDENHAMVS ſcilicet, HOFFMANNVS, MEAD, HVXHAM, PRINGLE, aliique quos nominatim adduxit *Cel.* WESTPHAL *f*), qui vomitoria ad curandas febres malignas laudent, tamen A. *de* HAEN *g*), et *Cel.* WESTPHAL *h*) vtilitatem eorum in

d) Diſſ. cit. p. 28. 30.

e) *Obſeruationes medicae* p. 15.

f) Diſſ. *de limitandis laudibus vomitoriorum ad curandas febres malignas rel.* in ſylloge ſelect. Opuſc. *Illuſtr.* BALDINGER Vol. II.

g) Rat. Med. P. I. p. 10. ſeq. P. II. p. 2. ſeq. P. III. p. 5. ſeq.

h) Diſſ. cit.

in dubium vocarunt. Ideo vero DE HAEN laudes vomitoriorum tunc reſtrinxit, quod HIPPOCRATES abſente febre, certe inflammatoria, et tunc modo vomitoria admiſiſſet, vbi ſordium verſus ſuperiora turgeſcentia adeſſet; quod quidam medici aut non meminiſſent emeticorum, aut praeſente dicta ſordium turgeſcentia modo in his febribus vomitum imperaſſent; quod DIEMERBROECKIVS experientia edoctus, emetica vituperaſſet; quod in quibusdam febribus malignis et epidemicis, etiam in febre a SYDENHAMO notata nocuiſſent, et denique ex omiſſo vomitorio nihil detrimenti notatum ſit. *Cel.* WESTPHALI *i*) autem ea de cauſſa tunc emeticorum vſum diſſuadet, quod febres malignae in inflammationes ventriculi et inteſtinorum valde pronae eſſent, et ſigna emeſin indicantia inde et ab aliis cauſſis proficiſci poſſint. Si, quid ego ſentiam, ingenue aperire licet, quando labes malignitatis in neruoſo ſyſtemate ſolo haereat, parum mihi vomitoria proficere poſſe videntur; ſi vero malignae febres complicatae ſint cum biliofis, aut malignitas a bile circa praecordia deliteſcente, acri *k*), pendeat, id quod multis in phrenitide videtur, nullum praeſtantius emeticis remedium inueniri poſſe reor. In febre putri-

i) Diſſ. cit. §. X.

k) VAN SWIETEN *Comment.* T. II. p. 271. ſeq.

trida neruosa emeticum dedit *Cl.* MERTENS *l*), idem etiam in peste lenia vomitoria nonnullis leuamen attulisse refert *m*). In febribus etiam inflammatoriis, si cum primarum viarum colluuie coniunctae sunt, diathesi inflammatoria venaesectione prius et aliis etiam fortasse antiphlogisticis temperata, vomitoria conducunt. Taceo nunc febres alias morbosque febribus stipatos, v. c. dysenteriam, in quibus emetica profuisse legimus.

§. VI.

In febre maligna, vbi alia absit complicatio nocere posse emetica, dixi. Pari modo ea non proficua in febre putrida venosa, et lentis quibusdam censeo. Maxime vero perniciosa omnium consensu in inflammatione ventriculi et intestinorum sunt; subinde tamen bilis acrior in ventriculo inflammationem eius, et similiter saburra lentas et putridas mentitur. Nocere etiam emetica phthisicis, haemoptoicis, plethoricis, grauidis, hernia, procidentia, cephalalgia vehementi, stricturis spasticis nimiis, febre effrena, laborantibus, aut summa virium postratione affectis, nec non iis, quibus thorax augustior sit, aut qui ex alia caussa non dispositi ad vomitum sint, creduntur. Inde patet, quae sub vsu vomi-

l) l. c. p. 62.

m) l. c. p. 136.

mitoriorum cautiones obſeruandae ſint, ne temere data obſint. Noxas euacuantium, hinc emeticorum etiam, breuiter ita expoſuit *Ill.* GAVBIVS *n*): obſunt eo, quod plus iuſto eiiciant, aut cum inutili etiam vtile, quod retineri debebat, aut minus praecipitanter, aut tempore modoue incongruis, aut non ſuis locis. Nocent et emunctoriis ſtimulo, attritu, dilatatione, anaſtomoſi, infirmatione. Tunc vero, vbi indicantia emeſin poſtulant, et conditiones aegri vomitoria admittunt, differenda non eſt efficacior medicina, ſed mature et tempeſtiue, ſi ſordes mobiles ſunt, iuſta doſi, cum potu conueniente v. c. decocto auenaceo, hordei, infuſo Florum Chamomillae rel. offerenda eſt.

n) *Inſtit. Pathol.* p. 244.

ORATIO ANNIVERSARIA
IN
THEATRO
COLLEGII REGALIS
Medicorum *Londinensium*,
EX
HARVÆI Instituto
HABITA
Die xviii. Octobris A. D. MDCCXXXV.



LONDINI,
Typis GUL. BOWYER. MDCCXXXV.

ORNATISSIMO VIRO

RICHARDO PELLET

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

SOCIISQUE DOCTISSIMIS

HANC

ORATIONEM

Illorum juſſu editam

D. D. D.

EDVARDUS WILMOT.



ORATIO HARVÆANA.

PARUM abeſt, quin diem illis dicam, qui ante me ex hiſce Roſtris præclaros Dignitatis veſtræ Autores laudibus extulerunt, non quòd urit eorum Gloria, ſed quòd prægravat Poſteros: Quem enim locum, non tactum, non ornatum, non exhauſtum reliquerunt? Repetundarum ſanè poſtulandi ſunt, quòd nudam & ſpoliatam Provinciam mihi tradiderunt, quòd, quicquid in hâc cauſâ aut uſui aut ornamento eſſe poſſit, præripuerunt, & pro ſuo vendicarunt. Splendidum proculdubiò peccatum! At videte, Viri Ornatiſſimi, ne veſtro exemplo duram nimis

 mis

mis ſanxiſſe legem videamini, ut nemo poſthac vel Medicus eſſe exiſtimetur, niſi & Oratorem ſummum eſſe conſtet; ut nemini in ſuâ Arte fides habeatur, niſi omni aliâ & Arte & Scientiâ itidem polleat. Ut ut erit, lætus in Concionem prodeo, modò memineritis, me non ſpontè & ambitioſè in hoc, quicquid eſt operis, irruiſſe, ſed juſſum adeſſe; non ad famam aucupandam, ſed grati animi indicia editurum.

NON frænum audit, neque cohiberi poteſt Oratio, quo minus præproperè evolet, & in HARVÆI nomen ſeſe ante tempus effundat, qui annuum hoc munus hìc loci poſuit. Prærogativam enim quandam laudis ſibi vendicare videatur, qui, ut aliis ſua tribueretur laus, gratus ſanxivit; & Prædicationis primas is jure ſortiatur, qui, ut eſſet omnino Prædicatio, inſtituto & ſtipendio cavit. Quàm ſapiente & pio Conſilio hoc fecerit, cui non in conſeſſo eſt? Quid enim honeſtius, quàm ut, qui benefecerint, benè etiam audirent? Quid æquius, quàm ut, quibus plurimas habeas gratias, iis cumulatas agas? Quid ſanctius, quàm Majorum famam conſervare? Quid utilius, quàm Poſterorum exiſtimationi proſpicere; quàm ex Patrum commemoratione filiorum virtutes elicere, & laudando quos decet, ne defuturi ſint unquam, quos laudare poſſis, providere? Stimulat gloria; exemplis miro modo accendimur; neque illuſtres viros propius intueri poſſumus, quin ipſi erigamur, altiores fieri & eorum Ordini appropinquare videamur. Dum igitur ex lege HARVÆANA & egregii Præſidis juſſu hoc

munus

munus repeto, ne cui molestus sim, nisi qui exigui aut invidi animi fuerit, ne minus vobis gratus & acceptus veniam, non est verendum. Quid enim? vestra res agitur: Antecessorum præconiis, vestris viam præstruitis: Speratis, nec vana spes est, easdem apud Posteros laudes, quas ante vos natis quotannis læti renovatis: Eadem quæ hodie solenni more fit, vos expectat Commemoratio; nisi quòd eo amplior fuerit, quo vos digniores de quibus dicatur, eo ornatior, quo instructior is, qui de vobis dicturus est. Absit verò, procul absit, ut eximios, de quibus hodierno die agitur, viros, puerili quodam famæ studio delinitos, tam præclaram suam operam navâsse existimemus. Si quis in animum induxerit, eos tantos exantlâsse labores, tot beneficiis Humanum genus devinxisse, eo tantum consilio, ut levi Oratoris munere quolibet in Circulum redeunte anno perfricarentur; næ ille magnificè satis de suâ perorandi arte, quantacunque demum ea sit, existimare videatur. Non quidem profectò eam indolem spirant tam splendida in suam ætatem & seros usque nepotes merita, quæ illi solummodò homines juvandi studio, bonis omnibus cum Diis ipsis communi, referre par est. Benefaciendi nimirum voluptate perfusi, & nescio quo virtutis amore concitati, abrepti, Præstantissimi illi viri, qui rem nostram posuerunt, auxerunt; ut laudem mererentur, id sibi negotii datum crediderunt, ut tribueretur, aliorum Pietati reliquerunt; sequentem se in æternum Gloriam læti conspexerunt; ut nunquam assequeretur, fecisse satis habuerunt.

DIGNISSIMUS eſt, qui ex hoc inſigni Choro, nomine evocetur & agmen ducat, Medicinæ apud nos Inſtaurator, Conditor, Commemorationis hodiernæ principium & fons: Cui debemus, quòd hìc loci convenimus, quòd hunc lætum diem agere, quòd intra hos parietes ſpectatiſſimorum virorum, qui vixerunt imagines, qui vivunt ora, intueri, venerari licet. An felicitatis, an laudis loco ponendum ſit, neſcio, eam inter ipſas literas & LINACRUM noſtrum interceſſiſſe neceſſitudinem, ut, hoc nato, illæ itidem renaſcerentur, & ortum ſuum aut illi deberent, aut cum illo communem haberent. Quippe per multa retrò ſecula, quicquid ſcientiæ erat, vel è terrâ noſtrâ inhoneſtè aufugerat, vel in Monachorum clauſtris turpiter conſenuerat, ignorantiâ putidiſſimæ gregis obſcurum. Dolebat magni animi vir literarum vicem: de Græcis actum erat, Latinarum Majeſtas læſa: Urebat ante alia, ut Deum colendi, ita nec homines juvandi ſanam extare rationem, ipſamque ſalutis artem Medicam manum expectare, nec tamen eſſe qui admoveret. Fœdam rerum faciem vidit, horruit; ſed qui in melius refingeret vidit, præter ſe, neminem; dignum ſanè qui eruditum ſeculum inveniret; vel, quod non inveniſſet, faceret: Puduit eum Patriæ: Valedixit, nunquam rediturus, niſi Medicinalem ſaltem Artem, ſicubi terrarum deliteſcebat, in lucem extraheret, ſicubi exulabat, ſecum poſtliminiò reduceret. Ipſos ſcientiæ fontes protinus adiiſſet, niſi jamdiu exaruiſſent illi fontes, nec ſuperſtites eſſent *ſacri*, quos inſpiceret,

Libri *

Libri *. Alexandriæ dulces moras traxiſſet, donec locupletem illam Medicinæ ſupellectilem excuſſiſſet, reportâſſet: Sed, pro dolor! flammis ceſſerat Regia illa Bibliotheca: Saracenico occubuerant literæ furori, qui cum ſcientiis ipſis bella horrenda geſſit, eaſque tantum non ad internecionem delevit: Aſclepiadum ſcholas fruſtra in Græciâ ipſâ quærebat, libertate exutâ, artibus ſpoliatâ, quæ, ſolum mutare coactæ, in terras alio ſole calentes gradum corripuere. Certior tandem factus, reliquias Medicinæ, ut olim Trojæ, è ſuis Achivis elapſas, per varios caſus & tot rerum diſcrimina Latium perveniſſe, illuc commeavit, & Doctiſſimorum Virorum qui huc undique confluxerant conſuetudine familiariter uſus, id in rebus acumen, in linguis elegantiam, in utriſque famam acquiſivit, ut redux, in ſapientiſſimi Regis notitiam protinus deveniret, unuſque ex omnibus dignus haberetur, cui Regni ſpes ARTHURUS, Princeps Juventutis, Marcellus noſter committeretur.

CUM in tam lautâ re eſſet, nihil antiquius habuit quàm ut Medicina, cujus erat, ut doctiſſimus, ita amantiſſimus, non in deteriori loco poneretur. Parum ſe profeciſſe exiſtimabat, imo abuti, quâ apud duos Reges pollebat, gratiâ, niſi in Artis ſuæ commoda converteret; niſi ei nitorem, opes, æternitatem conciliaret; nec omnino vixiſſe, ſi ſibi ſolùm viveret,

* ἱερὰ βίβλος erat Libri titulus, in quo regulæ erant præſcriptæ, juxta quas Medici apud antiquiores Ægyptios ægrotantes curare tenebantur. Vid. Diod. Sic.

v ide-

videbatur. Quid profuit de Græcis ſcholis toties legiſſe, Italicas inviſiſſe, ſi non in Patriâ exſurgeret ſchola, æmula, victrix, quæ tempore quidem ſequeretur, dignitate utraſque præcederet. Opprobrio erat, Medicinam foris caput extuliſſe, Academiis foveri; domi egenam, obſcuram, circumforaneam, empiricam, ſcientiæ, ſplendoris expertem eſſe. Dolori erat graſſari indies morbos, omniumque teterrimum Nebulones iſtos, Medicorum nomen ementitos, Carnificum dignos, qui ſicariorum more, in quos inciderent Homines, impunè jugulabant: Effrœnatam nocendi licentiam cohibendam, ſaluberrimæ diſciplinæ gloriam quovis pretio redimendam cenſuit: Quod tum demum fore intellexit, ſi, ut Palladium delapſum Troja, Caput effoſſum Roma, quædam Imperii pignora habuerant, ita hæc Civitatum ampliſſima Artium Reginam haberet, quæ in Arce collocata, Bibliothecis inſtructa, ſociis Diſciplinis cincta, jura ſua promeret, & Urbis fata feliciter diſtineret.

Ex votis ceſſit, quod præclarè excogitaſſet. Doctiſſimi undique conquiſiti ſunt viri, qui invictiſſimi Principis Auſpiciis, LINACRI ductu, ſocietatem conflarent; ut onus quod ſinguli ferendo non eſſent, junctis viribus ſuſtentarent; ut Conjurationem quandam pro ſalute civium inirent, & ne quid Reſpublica detrimenti caperet, in perpetuum caverent. Poſitis, bonis avibus, Collegii noſtri fundamentis, qui poſuit auxit, privilegiis ornavit, lege munivit. Ut Comitiis agendis locus, ſe vivo, ſuppeteret, ædium ſuarum copiam

piam fecit; ut mortuo etiam, eas teſtamento legavit. Ne Præſidis ſedi Honos deeſſet, ipſe multos annos tenuit; ne ſociis Libri Medici, ipſe optimè conſcripſit; ne Romanæ linguæ Dignitas, regulas de emendatâ ſermonis ſtructurâ tradidit, quas facundo ſuo exemplo confirmavit. Ut Pomœrium Collegii quodammodo proferret, & nova ſoboles, in hujus ſocietatis Honores olim adſciſcenda, ex Academiis ſemper accreſceret, Prælectiones, Oxonii duas, Cantabrigiæ unam inſtituit, honeſtiſque ſtipendiis cavit, ut eſſent qui Hippocratem elucidarent, & Juventuti Medicinæ ſtudioſæ Prophylacticam ejus partem, utpotè utiliſſimam, ex Galeno depromerent: Quanti enim cunque Pretii ſit, mederi poſſe morbis, antevertere autem, & ut ne omnino ſint efficere, majoris eſſe jure videatur.

Salve, Vir omni laude digne, ſupra omnem poſite, qui tum demum benefaciendi finem facere ſtatuiſti, cum non alios videres, quibus porro benefaceres: Quam ſcientiam non ſalutaſti? Quas literas non avidè hauſiſti? Non modo tuas, ſed noſtras feciſti, tui ſeculi Decus, Poſteris exemplum? Benè ſanè de Rege, de Patriâ, de Academiis, de humano genere meritus es, de noſtrâ certè Arte & re optimè; multis Amicus, nobis Amiciſſimus. Cum, tuâ ope, Regiâ Majeſtate præfulgeat Album noſtrum, & ſplendidiſſimis nominibus, ut Ignibus Cœlum, hinc inde micet, ut nullum tuo charius ſit, præclarè effeciſti. Salve iterum & vale, ut aliis commemorandis ſuus non deſit

ſit locus; Vale, dixi? Vellem non dictum. Aliorum commemoratio tua itidem eſt: tuum eſt, quicquid benè vel invenerint, vel fecerint, & eorum laudes proferre nihil aliud eſt, quàm tuarum telam pertexere.

Te igitur excipit Caius, eruditus, benevolus, eximius, & ut, quod ſummum eſt, verbo complectar, Tui ſimillimus Vir: Tuis veſtigiis inſtitit, ad tuum exemplar ſe totum compoſuit. Peregrè Tu iviſti? & ille ivit. In Patriam literas advexiſti? ſi quæ reliquæ erant advexit. Par utrique Ingenium, una Indoles, ſimilis ſtudiorum & vitæ ratio, idem apud illuſtriſſimos Principes Favor, eadem erga nos benevolentia: Quod Tu faciendum reliqueras, Ille fecit; quod addendum, addidit; conditor noſter fuiſſet, niſi illam Tu Gloriam occupaviſſes: Ita geminus, ut idem ferè videatur, niſi quod Tu primus, ille ſecundus; ita tamen à te ſecundus, ut Tu major ſis quod illum ſucceſſorem habueris, ille quòd Tu præceſſeris. Naſcentem hanc Rempublicam, tanquam hæreditario jure ſibi traditam, moribus ornavit, autoritate ſuſtinuit, ſtatutis emendavit, Inſignibus Gentilitiis decoravit, Cæremoniis auguſtam reddidit. Annales Collegii quâ elegantiâ, eâ fidelitate Latinè condidit, digeſſit: Aliorum facta ab oblivione vindicavit, ſua nunquam obliviſcenda adjunxit.

Voluptati eſt nos hæc accepta referre, ut eruditiſſimo, ita etiam clariſſimo Viro, cujus talis erat

exiſti-

matio, ut nomen ejus non tantum aliis præluceret, ſed etiam ſplendore ſuo abſorberet. Inde fit, ut, quod apud Cantabrigienſes poſt Gonvilium Collegium poſuit, CAII ſolummodo titulum præ ſe ferre geſtiat; eodem planè modo, quo Caſtoris olim ædes audiebat, quæ Deorum pari ex æquo dicata fuerat. Medicinæ certè primas tenuit; Regiæ ſaluti ad mortem uſque ex officio invigilavit; & in ea conjectus Tempora, quibus Morbus ille Epidemicus, ex ſudore nomen habens, graſſabatur, unus erat ad quem languida confugeret Reſpublica, unus, qui moribundam reſtituit: Non ipſo Hippocrate minor, qui Athenienſem illam Peſtem profligaſſe dicitur; eo certè felicior, quòd Patriam ſervavit. Neque ſilentio premendum eſt, hoc ei adeo in Honorem ceſſiſſe, ut inter ſacra Oracula Ephemera ejus locum haberet, & in Eccleſiis ex Edicto publicè legeretur.

TALI Autore, tanto Adjutore ſurrexit res noſtra; indies crevit, novos Patronos nacta; eoſque (quod de Romæ ſeptem Regibus dictum eſt) *quâdam fatorum induſtriâ, tam varios indole, ut Reipublicæ noſtræ ratio & utilitas poſtulabat.* Multa erant in uſum Humanum & Artis famam adhuc invenienda, in Collegii ſplendorem adhuc deſiderata: Accurrerunt æmulo quaſi ingenio & munificentiâ, qui invenirent, darent. Solio ſuo, & pro Temporum ratione ſatis auguſto, inſidebat Medicina; at nondum aderant Sociæ Diſciplinæ, Adminiſtræ Artes; deerat antiquiſſima ejus pars, quæ manu curat, donec Chi-

rurgicam Cathedram CADWALDUS Elizabethæ Reginæ Medicus, nobiliſſimo LUMLEIO, in auxilium & gloriæ conſortium advocato, ſolerter poſuit. Medici apprimè intereſſe meritò putabat, ut vulnerum naturam ſcienter calleret, quæ alius, ut Artifex, tractaret.

AT externa curandi vulnera rationem tenere, GULSTONO noſtro parum fuit, niſi & quæ intra hominem latuerunt penitus eſſent evoluta. Conjecturarum nullam certitudinem, nullum finem vidit, niſi oculata fides aliquo modo extaret. Ferro tentandam eſſe viam cenſuit; & ne morborum in obſcuro poſitæ cauſæ, nos aut ſæpius fallerent, aut dubios torquerent, Mortuorum Corpora in hoc Theatro quotannis incidenda, ſcrutanda procuravit, & pathologicam lectionem liberaliter inſtituit.

QUANTI vero nominis & Pretii ſit, hæc apud vos collocata Cathedra, dicat, qui mox implevit, magnus naturæ interpres HARVÆUS. —— HARVÆUS; qui de Arteriarum Pulſu diu ſolicitus, & cauſam ejus eruere millies aggreſſus, millies eluſus, tandem, (quod magnis illis viris ſolenne eſt, quorum omnia ad certum aliquem ſcopum collimant experimenta) deſideratiſſimum illud Arcanum, ſanguinis circuitum, ſeculorum quæ anteceſſerant opprobrium, ſui decus, extudit, vidit; novum Artis noſtræ fundamentum poſuit, & omni medendi rationi anſam præbuit. Tum demum, ſerò licet, intellectum eſt, Vitam nihil aliud eſſe quam ſanguinis fluxum in orbem actum; quod illum

illum motum læderet, morbum; quod ſiſteret, mortem afferre. Ille hominum primus purpureum, ignotum illud æquor impigrè intravit, curioſè perluſtravit, feliciter circumivit, de Patriâ, de Humano genere nihil non meritus. Philoſophorum Pater, qui Propoſitionem ad Vitæ uſum pertinentem, ſacrificio dignam judicavit; quot mille ſacris benè emptum eſſe exiſtimaſſet, quid ipſa Vita ſit, quid Animalium generatio, inveniſſe, dixiſſe? Re palam factâ, obſtupuerunt omnes: Primò non credere, laceſſere; dein invidere, ſibi arripere; poſtremo mirari, venerari: Agant pro ſuo arbitrio Homines; quicquid agunt, nolint, velint, tuæ, Præſtantiſſime Vir, laudi inſerviunt. Hypotheſin tuam falſi inſimulant? Ad examen revocas, experimentis firmas, demonſtras. Inventum aliis apponunt? At Tuum eſſe invictis argumentis probas, & ut ne ſit poſtea de inventore dubitandi locus, facis. Alii ex aliorum artificiis, ex ſtatuis ſeu æreis, ſive marmoreis, ſed brevi interituris, vanâ & umbratili Immortalitatis ſpe, ſe lactare ſatagant; Tu in tuis ſcriptis mori neſciis, veram & optimam invenies. Viget, & dum hominibus proſunt medendi Artes, & ſanguis eundo redeundo ſuum in circulum iter repetet, vigebit tua Gloria: Imo noſtra; cum Tu noſter fueris, & omnia quæ tua ſunt nobiſcum communicare volueris. Cœnaculum & Muſæum tuis impenſis extructa, Bibliothecam tuis Libris auctam, ipſa Artis tuæ Inſtrumenta, tuâ liberalitate ſuppeditata habemus: Tibi menſtruum, tibi annuum hoc Convivium debemus: Et ne quid impediret quò minus te in nos

 totum

totum effunderes, tuum ex aſſe Patrimonium, te vivo, vidente, donante, hilari, Epulis tuis accumbente, raro Exemplo accepimus.

Utilissimarum rerum Inventores primi homines in Deos evexêre; quòd nimium tribuerent, ſuperſtitioſi forſan; nos, ſi minus quàm oportet tribuamus, ingrati jure videamur. Magnum ſonat, & neſcio quid ingenii, induſtriæ & felicitatis præ ſe fert, de tramite fortiter deflectere, nova ſalutis inire conſilia, de tuo promere quod in uſum apprimè ſit, & hominibus prodeſſe eo, quo non alii modo ante profuerunt. Tales erant, Lowerus, qui Cordis (quod dolis ſuis Medicos non minus quam Theologos luſerat) fabricam & Muſcularem vim clarè explicuit: Whartonus, qui humorum officinas in Oculis & Ore & Cute, lachrymarum, ſalivæ, ſudoris origines, mirâ ſagacitate apperuit: Glissonus, Anatomorum ſui temporis facilè Princeps, qui Jecori vera ſua officia aſſignavit, & Bilem ſplendidam, Ingenii fomitem, ſeparare conſtituit: Willisius, qui Cerebri ſtructuram accuratè retexuit, & Nervorum fila, ſentiendi & motûs inſtrumenta, in omnes Corporis partes ab ortu ſuo deduxit. Hi ſunt, qui intra unius Seculi & Gentis Limites nati, earum rerum inventarum gloriâ effulgent, quarum unaquæque, quicquid ubivis terrarum unquam excogitatum fuerit, æquat, quæ autem omnes ſimul ſumptæ, magno intervallo etiam ſuperant. Neſcio quo fato, aëris Temperie, vel Temporum Genio fit, ut clariſſimi Viri aut ſimul exiſtere,

aut

aut alius alium quàm proximè ſequi, ament: & cum illæ Mundi Ætates ſterilitate quâdam laborant, hæ Ingeniorum meſſe lætæ exuberant. HARVÆANO hæc illuſtria Nomina juxtà adponenda eſſe cenſui, propterea quod inter ea conſortii aliquid eſſe videatur, quædam Inventorum ſeries, Gloriæ communio. Natura ſcilicet, Immortalis illius Viri armis expugnata, victa, deprenſa (quaſi poſt arcem captam nihil amplius eſſet quod celare & defendere aut poſſet, aut vellet,) è latebris exivit, & ſe totam in conſpectum pudibunda dedit.

HIS MAYERNIUS, Inventoris itidem titulo ſuperbiens, adnumerari jure poſſit; Urbis tranſmarinæ quidem Civis natus, ſed noſter factus, Regum noſtrorum Archiater conſtitutus, & in Collegii hujus ſodalitium adſcitus; dignus certè ob unicum *Calomelanos* inventum, quem nobis vindicaremus; quàm dignus qui in Commemorationis hodiernæ partem vocetur, Vos probè noviſtis, quibus in comperto habetur, qualia Morborum Monſtra, Herculeo hoc remedio quotidie domantur. Imo quòd diræ illi labi, quæ ipſum Leporum fontem, heu! nimium frequenter inquinat, in alio Medicaminis genere, vix tutum ſit præſidium.

FAMÆ veſtræ diſpendium eſſet, nobiliſſimum DURNOVARIÆ *Marchionem* ſilentio præterire, qui ſe ſatis ad Gloriam vixiſſe non exiſtimavit, niſi & Medici nomen ſuis Titulis inſereret, niſi in ſocietatem veſtram cooptatus, famâ eam augeret, libris locupletaret; officiis funge-

fungeretur, & aditum ad vos futuris Patriciis, præclaro exemplo aperiret, honeſtaret.

Non de Diis ſolum, ſed Deabus etiam ſuis Medicis gloriatur fabuloſa Antiquitas. Illuſtres apud alias Gentes Fœminas Artem ſalutarem exercuiſſe priſci Annales tradidêre; illuſtriſſimas apud nos bene feciſſe, noſtri narrare geſtiunt. Ne quid pulchri vobis deſit, Mariam & Arabellam Stuartiadas, inter veſtræ rei Autores; nequid Generoſi, Nobilissimos Periscellidis Equites, inter ſocios veſtros numeratis.

Interpellandis verò gaudiis veſtris pauliſper locus ſit, neque vitio vertatis, me candidum hunc diem funeſtare, & inter Triumphos clades etiam recenſere. Damna veſtra æquo animo ferenda, audienda ſunt, ut ejus qui reſarcivit nomen audiatis, & in æternum colatis. Ea ferè eſt rerum humanarum ſors, ut varias formas induant, vices ſubeant, & quaſi in proclivi ſitæ, externis cauſis impulſæ, ſuâ mole actæ deſcendant, & ad interitum properent: Neque ſatis eſt eas ſemel optimis Auſpiciis poſuiſſe, niſi & adſit, qui labentes ſuſtineat, imminutas augeat, peſſum datas inſtauret. Hanc Hamæi noſtri Gloriam eſſe facilè intelligitis, qui cum Conditoris nomen alius præripuiſſet, illi proximum occupavit, & nos labefactatos in integrum reſtituit: Sub haſtâ poſitas, (horreſco referens!) has ædes & pretio addictas Amiciſſimus Hamæus vidit, nec tulit; pretium ſolvit, redemptas reddidit. Medicinam de ſolio deturbatam, bonis exutam,

exutam, foras projectam, ære alieno obrutam, manu levavit, in sede suâ placidè reposuit. Vix respirandi, vix gratiis agendis locus est datus, cum novarum occasio exoriebatur. Invicta illa flamma, seu Cœlis delapsa, seu ab Inferis petita, quæ per amplissimam hanc urbem grassata, neque profanis, neque sacris ædibus pepercit, has etiam, heu! frustra redemptas, solo æquavit. Advolavit HAMÆUS, ex aliis corrogavit, de suo addidit, quod iis de integro extruendis sufficeret; eoque effecit, ut Londinensium Civium Nomina, inter Reges, Regiamque sobolem, illustrissimorum Doctissimorumque Virorum Titulos, insignem locum in Tabulis nostris sortiantur. Nec ædificâsse HAMÆO satis fuit, nisi & ornaret, nisi Conviviorum locum, ad sui animi speciem, id est, magnificè instrueret. Imo ut, quæ aliis benefecerit, ad nos etiam pertinere doceret, Nosocomiorum Medicis ampla stipendia assignavit, ea lege, si è nobis eligerentur, vel nostro saltem suffragio digni judicarentur. E Prædiis tandem quæ lauta, & situ proxima erant, nobis moriens legavit.

VIR tot nominibus charus, & tanta de re nostrâ meritus; quem prius sibi apponi mallet, quàm SYDENHAMUM, de arte nostrâ optimè meritum, dignum sanè, si quis alius, qui nostræ Gentis Hippocrates appelletur, utpotè qui (uti de illo Medicinæ Antistite, si benè memini, dictum est,) *Naturam sequendo eidem imperavit.* Morbos certè, quorum Historiam contexuit, tam solicitè observavit, fideliter descripsit, benevolè communicavit, ut tantùm

à neg-

à negligentiâ quantum à fraude, tantum à fraude, quantùm ab invidiâ abhorruiſſe, & errandi locum nec ſibi, nec aliis reliquiſſe, videatur. Cum vero id ſolummodo ſibi Gloriæ fore, ſi quid aliis beneficio cederet, exiſtimaret, an melior ipſe Medicus, an Vir fuerit, inter dubia reliquit. Præclarè ſanè cum Medicinâ actum eſſet, ſi omnes, magni hujus Magiſtri veſtigia prementes, eandem operam, ſtrenuè navâſſent, & miſsâ ſuâ quiſque hypotheſi, obſervando quàm fingendo vacare, prodeſſe quàm delectare, maluiſſent: Tardior eorum quidem gloria, ſed diuturnior fuiſſet; minus ſibi forſan placuiſſent, at alios miro modo juvâſſent. Verum enimvero, Judicio uti quàm Ingenio indulgere, quo difficilius eo rarius; adeo ut quanto magis hoc optandum, tanto minus ſperandum ſit.

Ægre ferret, honoris qui ſibi proprius eſt, expers Radclivus, Oxoniæ ſuæ Decus & Invidia: Decus, quod æs ingens, tantâ ſuâ Laude, & Artis emolumento, ibi collocavit; Invidia, quod literis leviter ſalutatis, Ingenii vi ſolùm innixus, eò felicitatis & famæ provectus eſt, ut, in ſeculo eruditorum Medicorum feraci, & mediâ celeberrimæ hujus Urbis frequentiâ, ſe ſolum Medicinæ ſacris initiatum gloriaretur, & Doctos, Indoctos, Magnates, Plebem, (mirum dictu!) in ſua verba jurare paratos aut haberet, aut faceret, Vir Magnificus, natus Medicus, non factus, obſervandi acer, dignoſcendi ſolers, expediendi acutus. Uſque adeo ſeſe effert nativus animi vigor, lumenque

menque omne, literarum ſtudiis accenſum, ſplendore ſuo ſuperat penitus & præſtringit.

Ad tempora vobis propiora, orationis filo deductus, venio; ut eorum manibus litem, quorum convictu diutius frui non licet. Duorum enim è noſtris ſociis ora, fruſtra ſum, dum in hoc literato conſeſſu quæro. Sed à queſtu temperate: Qui aliorum fata toties diſtulerunt, ſuis occubuêre. Abierunt nimirum, &, vitæ ſtadio feliciter emenſo, è conſpectu noſtro ſe receperunt, ut, poſtquam ante ſe natorum laudibus piè inſerviiſſent, ſuis tandem locum darent.

Ut denaſcendi tempore, ita & nomine prior veniat Richardus Halæus, nec, quòd ruſticius paulò defluat toga & ferocius introeat, minus vobis gratus, qui diuturnâ conſuetudine noviſtis, quàm bonus, quàm amicis concinnus fuerit. Dicendi nempe libertate, & vivendi ratione, ut ſimplex & optimæ fidei Vir exiſtimaretur, virtute ſuâ, ut eſſet, comparavit. Græcis literis addictus, in nullis hoſpes, Homerum, utpote earum fontem, adeo in deliciis habebat, ut totum memoriâ retineret, pro re natâ feſtivè recitaret; imo, circuitûs Harveani veſtigia Vir ſolers in eo colligeret. Nec erroris temerè poſtulandus eſt, quòd ſcientiarum artiumque omnium Patrem crederet; ſi quas enim in eo non inveniebat, de ſuo addebat, & cum dilectiſſimo vate benevolè communicabat. Cum nullam Medicinæ partem non probè calleret, eam, quæ Inſanientes ſpectat, proſperè excoluit. Quot Re-

ges Reginaſque de ſolio ſuo ſtramineo fortiter deturbavit, quos furore percitos lenivit, atra bile confectos erexit, delirantes ad ſanam mentem reduxit, dicant annales Bethlehemetici, dicant illi hominum miſerrimi, quos patriæ, amicis, ſibi, feliciter reddidit. Ut literas ipſas, ita & literarum apud nos ſedes perditè deamabat; Academiæ utriuſque & Collegii hujus utroque Pollice eo uſque fautor, ut nihil ingenuum, nihil præclarum, nihil laude dignum, aliunde oriundum eſſe agnoſceret; nimio fortè ſtudio, ſed amabili, abreptus, quippe qui Patriæ ſtudebat. Pignus amoris, quo Artem noſtram & rem ſemper fovebat, quingentas libras in Medicæ hujus Bibliothecæ augmentum, moriens reliquit.

Ad clariſſimum Virum Johannem Freind ordine accedo: Dignum certè quidem qui omnes laudandi opes exhauriat, atque ita commemorationi hodiernæ finem imponat. Ille hoc noſtrum munus claudat, qui uſque eò ornavit, ut futuris oratoribus injurius eſſe videretur, ſi non ſe prædicandum reliquiſſet. Vix enim è vitâ exceſſerat, cum omnes deſiderare, mirari, efferre inciperent, meliora optare, majora dicere, quàm quæ aliis unquam dum viverent, falſi ingenioſa, ſui ſtudioſa, dixit Adulatio. Gloria ſcilicet, quo minus in conſpectum Viri, laudis minimè appetentis, erumperet diu repreſſa, in abſentem ſe totam effudit, & citis pennis aſſecuta, in Cœlum ſuum protinus evexit. Tantæ famæ ſemina, in ſcholâ Weſtmonaſterienſi, ſolo ingeniorum feraciſſimo, jacta, in immen-

ſam

ſam ſegetem excreverunt in Chriſti apud Oxonienſes Æde, turritæ Deorum Parentis ad inſtar, fæcundâ maximorum Virorum matre; ubi pro ſuo & loci genio humaniores omnes literas excoluit eximius Vir, recto cultu fortiſſimum pectus roboravit, & quantum præclara indoles doctrinam, doctrina vim promovet inſitam, feliciter oſtendit. Quàm Græcè, quàm Latinè ſciret, teſtis ſit Hippocrates ſuus, quem ad exemplaria Græca acutè emendavit, Commentariis Latinis nitidiſſime illuſtravit. Quas ei habeat gratias ſexus ille, quem circum Jocus volat & Cupido, dicat liber in ejus uſum, eâ quâ decuit elegantiâ, concinnatus. Ad philoſophiæ penetralia adiiſſe adſtipuletur Chemia, cujus labores examini ſubjecit, omneſque cum NEWTONIANIS, id eſt, Naturæ Legibus, compoſuit, conciliavit. Variolarum Theoria, ſi Experientiæ Fides accederet, auro contrà pretioſa, Ingenii argumentum; quod Ingenio illi non ſæpius indulgeret, Judicii jure habeatur. Quàm rebus geſtis fide eruendis, dilucidè, ornatè narrandis, ſi huic muneri vacaſſet, aptus eſſet, ea, quam patrio ſermone continuavit Hiſtoria, palam fecit. Quàm in omni demum Literarum genere exercitatus, fidem faciunt quæ ſcriptis, factis edidit ſpecimina, iis tantum minora, quorum ipſe ſpem indies accendebat.

TANTA de uno aliquo viro prædicari, magnum quidem eſt; majus autem, quod de tali viro prædicantur, qui nihil ſuum eſſe duxit, quod aliis beneficio eſſe poſſet. Si quid eximii, ſi quid reconditi habuit, (quid autem utriuſque non habuit?) non

ſolitariâ famâ contentus, in apertum liberè protulit. Scivit egregiè? ut alii itidem ſcirent, operam ſedulò dabat. Medicinæ peritus fuit? ut alii etiam eſſent, ſtudio flagrabat. Gloriam attigit? ſi aliorum accenderet, lucro apponebat, alienæ inſerviens, ſuæ profuſus. Secundùm Divini Senis effatum, * *ideo Artem ſuam quamplurimum amans, quia Hominum amantiſſimus.* In malam rem abire jubebat, qui neſcio quod Arcanum ſuperbè venditabant; ſi non haberent, falſos, ſi celarent, invidos; utroque nomine aut neglectui aut odio habendos. Id nimirum Patriæ, id ſuo & Artis commodo inſerviturum eſſe putabat, ſi alios ſui ſimiles inveniret, vel, quoad poſſet, faceret: Et ut eſſent, omnia ſua cum illis communicabat, præceptis inſtituebat, exemplo præibat. Imperitiam Medico non opprobrio ſolum, ſed crimini vertere ſolebat; & Mortuo nihil intereſſe, ſeu ignorantiâ ſeu fraude periret, benevolè dictitabat. Principibus placuiſſe viris non ultima ejus laus eſt; maxima verò & diſplicuiſſe, cum ex illorum re eſſet: Magni enim animi Vir, ſpe & metu major, nec lucri, nec famæ ſtudio ceſſit, quid alii ſentirent minimè ſolicitus, dummodo ſibi recti conſcius foret, quo eruditior eo fortior illis apud Celſum Medicis, † "*qui in ſplendidâ Perſonâ periclitari conjecturâ ſuâ noluerunt, ne occidiſſe, niſi ſervâſſent, viderentur.*" Cum autem CAROLINÆ, perſpicaciſſimæ omnium REGINÆ, non nomine ſolum tenus Medicus fuerit, quâ fide ſanctiſſi-

* Ἦν γὰρ παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη. Hippocrat.
† Celſus in præf. lib. I.

mæ ejus ſaluti invigilavit, quâ felicitate conſervavit, dicat illa, quâ apud eam valuit, Gratia. Academiæ ſuæ Decus, utriuſque deliciæ, utramque maximi æſtimavit, & in perpetuum amoris teſtimonium, eam reliquit legem, quâ, ferente illo, jubentibus vobis, cautum eſt, ne hujus loci ſedes, niſi Academiarum noſtrarum filiis, in futurum pateat.

Cum legendis, condendis libris incumberet, & quotidianis muneris ſui officiis occuparetur, nec ſuæ, nec alienæ mille curæ circa Caput ſalientes, impedimento erant, quo minus Rempublicam capeſſeret, auſpicato die Regni ſenatum intravit Vir ad omnia natus, & ſedem ſuam dignitate implevit, eloquentiâ ornavit. Medicinam proſperè fecerat, ſcriptis illuſtraverat, famâ auxerat; deerat in laudis cumulum, ut periclitanti opem ferret, in diſcrimen adductam eriperet. Nec in Morâ res fuit; hanc etiam merendi partem oblatam avidè arripuit, fortiter explevit: Collegii hujus jura, avita, ſanctiſſima, Regum dona, erant qui in jus vocabant, imminutum ibant: Accurrit, dixit, propugnavit literarum fautor, artium patronus: Argumentis, autoritate, gratiâ, ſuâ & Artis felicitate, omnes in unam ſententiam diſcedentes habuit, & Privilegia noſtra, non tantum ſarta tecta ſervavit, ſed confirmata, ampliata reddidit. Stetit Reipublicæ noſtræ fortuna, illibata, integra, ſplendida, Præſtigiatorum Opprobrium; quòd oppugnata fuerat, illuſtrior; quòd inſidiis petita, munitior; quòd à malevolis odio habita, bonis omnibus charior.

Ejusdem

Ejusdem Viri, ejuſdem animi erat, rem noſtram foris defendere, & intra hos Parietes ſedulo curare. Eo conſilio, (ut meminiſſe juvat!) comitiis, exercitiis noſtris lætus adfuit; imò ut eſſent, quibus adeſſe poſſet, gratiâ ſuâ comparavit. Cum enim, neſcio quo malo fato, hæc in deſuetudinem abiiſſent, veſtram opem implorabat, ſuam pollicebatur, per voſmetipſos, per Majores veſtros, per Amicitiam, per Gloriam orabat, ut in integrum reſtituerentur, ut huc commeandi locus foret, ut veſtrâ conſuetudine uteretur, ſuæ facultatem præberet; ut convivia honeſta, colloquia dulcia inſtaurarentur; ut in conſpectum mutuum venire, ut audire, ut dicere, quæ in Artis commodum, Literarum incrementum, Collegii honorem, bonum publicum cederent, denuo liceret. Annuiſtis voto, idem enim vobis & illi morum candor, eadem ſtudiorum ratio, animi magnitudo: Voto annuiſtis; ne illius, ne Majorum Labor effuſus eſſet omnis: Voto annuiſtis; ſimiles enim ſimilibus gaudent, fruuntur, & ad meliora mutuo commercio & exemplo finguntur. Sordes, ſolitudinem ex hoc loco præclarè depuliſtis; nitorem, frequentiam reſtituiſtis. In dilectiſſimi Viri ſententiam cupidè iviſtis; noviſtis enim, quàm non leve eſſet quod promittebat, cum ſui copiam familiariter faceret. Qualis in inimicitiâ erat, dicant, ſi quos habuit, Inimici: In Amicitiâ qualis, illorum ſolummodo eſt dicere, qui ſunt experti; qui ſubſecivis ejus horis aderant, cum à negotiis recederet, Genio indulgeret, amicis vacaret; cum Pectus illud generoſo

neroſo incoctum honeſto recluderet, utile dulci miſceret, & omne punctum ferret, non amans magis quàm amatus, non amatus magis quàm amabilis. O præſtantiſſimum, beatiſſimum virum! cui ex parvis rebus, æquè ac è maximis, accreſcit decus; cujus inter minimas laudes ponendum eſt, quod ſupra alios ſciret. Suâ, id eſt, ampliſſimâ fruatur famâ, qui nullius laceſſivit, nullius non auctiorem optavit, fecit. Felicitatis loco habeo, quod votum tandem implevi; quod ſacro nomini hoc debitum munus perſolvi, quod de ingente ejus Gloriâ pauculos decerpſiſſe flores, & vobis obtuliſſe contigit: Juvaret ſanè hìc loci conſiſtere, novas dicendi Cauſas nectere, & Charo Viro diutius immorari, nunquam dimittere. Ægrè à dulciſſimo amplexu divellor: Recedendum verò eſt, invito licèt, ne limites ſibi appoſitos tranſiliat oratio, ne importunus, Loci, Temporis, Officii, immemor eſſe videar, & in Clariſſimi viri famam, minuendo, ulterius peccem.

Vix autem ab eo diſceſſiſſe viderer, ſi ad vos accedere, & variis eximiis veſtris laudibus me immiſcere liceret: Si ad Præstantissimos Viros, omni ingenuâ Arte, Eruditione, Doctrinâ, excultos, politos, tranſire fas eſſet; Illum, qui Præſidis munus per multos annos ſuſtinuit, ornavit, auxit, & Gloriæ tandem ſatur, depoſuit; Hunc, qui ſuſtinet, ornat, nullâ non famâ & ſpe impertit. Sed Religio eſt, dicendi Magiſtris olim illuſtranda, tenuitate meâ temerare, & mihi ipſi placere, ſi vobis moleſtus ſim. Vetat

tat

tat loci conſuetudo, revocant Majorum Inſtituta, Commemorationis Lex, è conſpectu noſtro ſublatis ſacræ. Veſtrum eſt maximas res præſtare, noſtrum videre, mirari; aliorum erit cum dignitate dicere, cum voluptate audire. Interea tamen loci, quod benè vertat! pergite, ut facitis, ornatiſſimi Viri, magna edere, majora promittere, Artis veſtræ honori impigrè ſtudere, Civium ſaluti proſperè invigilare, vitæ & Gloriæ circulum feliciter implere. Serò illuſtriſſimis Viris adnumerari vobis contingat, qui, quicquid illi aut erant, aut ſperarent, eſtis. Diu vos expectent virtutis præmia, ut quo diutius dilata, eo pleniora redeant. Prædicationis omnibus numeris abſolutæ tum demum locus erit, cum agendi vobis non amplius fuerit; cum emeriti, evocati, Vitâ defuncti eritis, (favete linguis!) cum Immortales eſſe incipietis, Orationum, quoties illuxerit hic feſtus dies, materies læta, copioſa, ſplendida, invidenda quidem, ſed aliis relinquenda.

